

Commentatio subseciva de fama memorabili regis ex oriente venturi circa ipsa nativitatis Christi tempora toto orbe pecrebescente, triumviris illustribus Iosepho, Suetonio, Tacito, commemorata

Autor(en): **Albrecht, J. Georgius**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1746)**

Heft 2

PDF erstellt am: **13.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394577>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

III.

* Commentatio Subseciva

de

FAMA MEMORABILI

REGIS EX ORIENTE VENTURI

Circa ipsa Nativitatis Christi tempora
toto Orbe pecrebescente,

Triumviris illustribus

JOSEPHO, SUETONIO, TACITO,

commemorata.

DUm vota precesque Gymnasio præire me-
cum constituo, totaque mente in publici
gaudii recordatione & Magni Ducis fama
atque expectatione defixus hæreo, *fama memora-
bilis Regis ex oriente venturi, circa ipsa nativitatis*

Q 3

Christi

* Autor huius Commentatiunculæ est Vir Clarissimus
& modeste doctus J. GEORGIUS ALBRECHT, Gym-
nasia Traject. ad Moenum Corrector, sed amplio-
re theatro si quisquam dignus: Hunc ego Virum amo
maxime ob illam animi moderationem, qua se ab Omni-
scibilistis illis theologis, qui nihil prorsus indecisum
aut indefinitum relinquere volunt, mirum quantum dis-
fidere, & magnum illud in Scientiis inane perspectum
habere egregiis Scriptis ostendit ac testatum fecit, quo
in genere Studiosis adolescentibus commendo magnopere
ejus *Dissertationes de docta & laudabili in studio Exe-
getico ignorantia.* J. Z.

Christi tempora, toto orbe percrebescens, ex antiquo illo seculo memoriae succurrit. Res sane commemoratione dignissima! quæ non parum ad veritatem Religionis Christianæ, suis argumentis jam corroboratam, amplius confirmandam facere videtur.

Tres historici gravissimi FLAVIUS JOSEPHUS, C. SUETONIUS TRANQUILLUS, & C. CORNELIUS TACITUS fere *συγχρονοι* eandem referunt, ut nulla suspicio sit, alterum ex altero suam narrationem hausisse, quod eidem non parum fidei conciliare debet. FLAVIUS quidem JOSEPHUS, quem non inepte *Hebræorum Livium* appellant, causas exponens, quæ maxime Judæos ad bellum impulerint, commemorat quoque *χρησμον αμφιβολον, εν τοις ιεροις ευρημενον γραμμασιν, ως κατα τον καιρον εκεινον απο της χωρας τις αυτων αρχει της οικουμένης, Oraculum ambiguum in sacris libris inventum, quod eo tempore quidam esset eorum finibus orbis terræ habiturus imperium.** C. SUETONIUS, cui XII Imperatorum vitas eleganter descriptas debemus, *veterem & constantem* vocat *opinionem. Percrebuerat, inquit, oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.*** Eadem fere C. CORNELIUS TACITUS, nulli unquam seculo tacendus, refert, *pluribus, scribens, persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectique Judæa rerum potirentur.****

Ob-

* De Bello Jud. VII. 31. fol. 961. edit. Ittigiana.

** In Vespasian. IV. 8.

*** Histor. 2. V. 2.

Observatione dignum existimamus, triumviros præstantissimos in narratione sua iisdem pæne verbis consentire, quod nobis argumento est, eos vel ex ipsis Literis sacris eandem descripsisse, vel, potius famam ipsam, ut tote orbe dissipata manavit, secundum omnem suam complexionem repetiisse. Facile autem est ad intelligendum, quantos motus quantamque expectationem opinio illa, tam late disseminata, ubique terrarum & gentium excitaverit. Quam tamen, ut fere fit, alii alio, pro diversis, quibus constricti tenebantur, præjudiciis, trahebant. Judæi, quos pestifera de regno Messæ mundano persuasio, velut lues, quadam contagione infecerat, oraculum illud ad se spectare rati, tanto fortius sese Romanis opposuerunt. Quod FLAVIUS disertis verbis tradit, superioribus subjiciens: Τετο οι μεν ως οικειον εξελαβον, και πολλοι σοφων επλανηθησαν περι την κρισιν. Hoc illi quidem quasi proprium acceperunt, multique sapientum interpretatione decepti sunt. Idem confirmat TRANQUILLUS addens: Id Judæi ad se trahentes rebellarunt. Nec tacet TACITUS, suæ narrationi subjungens: sed vulgus Judæorum, more humanæ cupidinis, sibi tantam factorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Gentiles contrario, in alia omnia abeuntes, ad diversos Reges & Principes famam inter ipsos latissime dispersam transferebant, ut SERVATIUS GALLÆUS ostendit.* Multi eadem Augustum designari credentes, ad eum quo-

Q 4

que

* Dissertationibus de Sibyllis earumque oraculis Cap. XIIII. de Rege venturo pag. 363. sqq.

que trahebant prodigium, quod ante paucos quam nasceretur menses Romæ publice factum SUE-
TONIUS refert, † quo denunciabatur, *Regem
populi Romani naturam parturire.* Plerique cum
TRANQUILLO & TACITO de *Vespasiano & Tito*,
quantum eventu postea patuerit, hoc prædictum
esse conjiciebant, quibus Josephus, qui oracula
de regno Messiae adulatione turpissima ad *Vespasia-
num* accommodare solet, suffragatur. Suam
enim sententiam ab opinione tribulium sejungens
addit: *Εδηλα δ αμα την περι Ουεσπασιανυ το λογιον
ηγεμονιαν, αποδειχθεντος επι Ιουδαγιας Αυτοκρατορος.*
*Hoc autem plane responso Vespasiani designabatur im-
perium, qui in Judæa creatus est Imperator.* Quod
ei prædixit Josephus, libertatem & jus civitatis
Romanæ eo ipso promeritus. At Christiani HE-
GESIPPUS,* EUSEBIUS,** aliique famam me-
morabilem potiori jure de JESU CHRISTO, Rege
veritatis, sive Rege verissimo, quem plurima va-
tum divinorum oracula celebrant, accipiendum
esse judicarunt. Quum enim fama loquax desi-
gnet Regem ex oriente exoriturum, cujus reg-
num per universum terrarum orbem sit proferen-
dum, in neminem quadrare potest, quam in
CHRISTUM, qui ab æterno Rex omnium Re-
gum & gentium est destinatus, cujusque regno
nulli termini, fines nulli divinitus sunt constituti.
Neque illud omittendum, quod *fama de Rege ex
oriente venturo, quæ vetus & constans opinio a SUE-
TO-*

† In Octav. August. XCIV. 4.

* de Excid. Hierosol. Lib. III. Cap. XLV.

** Histor. Eccles. Lib. III. Cap. IIX.

TONIO dicitur, si recte reputemus in ipsa tempora, quæ nativitatem Christi proxime præcedunt, incidat, neque temere nata, neque ex incerto rumore orta, sed a certo quodam fonte in univèrsum orbem permanasse videatur.

Hinc gravior inter eruditos de origine illius famæ nascitur disputatio. Non enim rumor dicitur incerto auctore divulgatus, cujus originem & initia qui indagare conatur, æque perdit operam, ac qui olim fontes Nili quærebat, sed *vetus & constans opinio, & firma persuasio*, quæ certo quodam fundamento nitebatur. Hic vero in diversas sententias eruditi discedunt. Non pauci, ex quibus G. VOCKERODTIUM* & I. G. WALCHIUM** nunc tantum nominamus, famam istam oraculis Sibyllinis suam originem debere arbitrantur: Quidam addunt, VIRGILIUM, quæ *Ecloga quarta de virgine & nova progenie cælo demissa*, quibus filium Virginis a Poeta prædici credunt, cecinit, ex iisdem hausisse? Equidem nunc de Poetarum Principe pluribus disputare non vacat, cui nimium honoris tribuere videntur, qui eum in sanctorum vatum censum propter *eclogam*, quæ non pauca ethnicismi specimina continet, referre sustinent. Neque amplissimum illum campum Martium, quo de Sibyllis earumque oraculis magnis animorum motibus

Q 5

* Differtat. de notitia div. Scripturar. ante C. N. inter gentes, Commentat. de eruditorum Societat. adjecta P. II. Cap. V. §. VIII. p. 108. ff.

** Notis ad Lactant. Institut. IV. 6. pag. 418.

tibus eruditi decertant, non ingrediemur; conjecturam tamen de *fama regis, ex oriente venturi*, ex oraculis istis derivanda, nobis non probari, fatemur. Quæ enim de antiquissimis Sibyllarum oraculis passim traduntur, multa incertitudine laborant, nec, quæ vaticinia continuerint, hodie constat. Quæ vero a Patribus tanquam Sibyllarum oracula passim excitantur, quæque hodie circumferuntur a SERV. GALLÆO edita, manifesta *νοθεύς* piæque fraudis indicia produnt, quod nuper quoque vener. Dn. Abbas I. L. MOSHEMIUS pronunçiauit.* Ad hæc accedit, in illis, quæ hodie leguntur, oraculis, nullum de *Rege ex oriente venturo* vaticinium deprehendi.

Concedimus quidem plurima oracula de *Rege venturo* inter gentes fuisse jactitata, quæ vero tantum abest, ut locum famæ nostræ præbuerint, ut potius eadem ex hac fama, latissime disseminata, efficta esse, conjiciamus. Plane enim oracula de *Rege populi Romani venturo*, quæ CICERONI, SALLUSTIO, PLUTARCHO, APPIANO,

* Notis egregiis, quæ eleganti librorum ORIGENIS contra CELSUM versione, a se adornatæ, adjecit. Quo opere ingens meritorum, quibus vir eruditissimus rempublicam literariam sibi devinxit, cumulus accessit. Lib. V. Cap. VIII. pag. 582. Ex nomine Sibyllistarum haud inepte colligit vir sagacissimus, jam prisco ævo fuisse, qui fraudem illam, cujus gentiles etiam Christianos infimularunt, improbarent. Recte etiam pag. 794. observat, hac piæ fraudis confessione nullum vel existimationi Patrum, vel veritatî religionis nostræ detrimentum afferri.

NO, DIONI, aliis memorantur, a fama Regis ex oriente venturi, toto orbe percrebescente, distinguenda esse videntur, quod nunc pluribus exsequi, angusti, quibus circumscribimur, limites non patiuntur. Infirmo itaque fundamento niti censemus, qui originem famæ memorabilis ex oraculis Sibyllinis derivant, quibus ipsi triumviri, quorum testimonio ea constat, contradicere nobis videntur. SÜETONIUS quidem, unde fama ista per totum orientem manaverit, silentio prætermittit, non taciturus, si de oraculis Sibyllinis quicquam ipsi constitisset. TACITUS vero, ex antiquis sacerdotum literis eam persuasionem ortam esse, scribit, quas ab oraculis istis diversas fuisse, nemo diffitetur. JOSEPHUS denique, χρησμον αμφιβολον *responsum abiguum εν τοις ιεροις γραμμασι* in sacris literis, quibus haud obscure ipsa sanctorum vatum oracula innuit, inventum esse, testatur.

Hinc alii, genuinos famæ, ad omnem posteritatem memorandæ, fontes in ipsis Prophetarum libris sibi quærendos esse, decernunt. At hi rursus inter se dissentiunt, si, quodnam ex sacris oraculis eidem, tam late disseminatæ, occasionem præbuerit, quærat. I. C. CELLARIUS,* quem I. A. FABRICIUS** sequitur, ex oraculo Jacobæo de Schilo sive Principe pacis, & sceptro

* Differt. de Cn. Pompeii M. expedit. Judaica §. I. pag. 35. sq. differt. ejus academ.

** Biblioth. Græc. Lib. I. Cap. XXX. §. XIII. p. 182.

sceptro a Juda auferendo, * famam enatam esse, existimat. Sed præterquam, quod istud de Schiloh effatum paulo obscurius esse videatur, ex eo potius imperium Judæis eripiendum, quam Regem ex illis oriturum, forsan colligere potuissent. IS. CASAUBONUS, † cui PETR. ZORNIUS, †† aliique suffragantur, oraculum *Michæanum* de *Duce Bethlehemo egressuro* ††† originem isti famæ dedisse hariolati, in ipsis Prophetæ verbis *ἐκ σὺ ἐξελευσεται ὁ ἠγόμενος* expressa ejus vestigia sibi deprehendisse videntur. At quum hic nulla temporis nota occurrat, vix apparet ratio, qua ex isto vaticinio *fama Regis ex oriente venturi* illo ipso tempore exorta fuerit. Nos, si nostram quis requirat sententiam, concedimus quidem, Oracula divina, quibus Rex Messias venturus prædicatur, ansam famæ toto oriente percrebescenti dedisse; at non opus esse putamus, ut in uno aliquo & singulari responso divino ejusdem origo quæretur. Quodsi vero ratio sit reddenda, cur illo potissimum tempore fama Regis ex oriente tam late fuerit disseminata, alia & quidem propinquior causa nobis inquirenda esse videtur. Decernimus itaque, universalem quandam ea ætate inter Judæos, non tantum Palæstinam incolentes, sed & toto orbe dispersos, persuasionem invaluisse, Regem Messiam mox appariturum, eamque

* Genes. XLIX. 10.

† ad SÜETON. Vespas. loc. cit.

†† Opusc. Sacris pag. 3. sqq.

††† Michæ. V. 2.

que famæ nostræ originem præbuisse, quæ Magorum in orientem ex Judæa reditu magis magisque confirmata, disseminata, & aucta fuerit. Ex historia enim Evangelica constat, cum πληρωμα καιρου, consilio divino adventui Messiae destinatum, appropinquaret, ingentem inter Judæos Regis venturi expectationem fuisse excitatam. Quod ut ex vaticiniis Prophetarum omnes coniciebant, ita nullum est dubium, pios sacerdotes, qui sensum oraculorum divinorum in concionibus suis interpretabantur, illos in hac persuasione magis magisque confirmasse. Ecquis negare ausit, plures fuisse Simeones, qui παρακλησι^{σιν} Israël avide expectarent? Quis vero non æque intelligit, inter Judæos, gentem superbam & insolentem atque procacem, plures extitisse, qui ipsi opinionem illam inter gentes jactabundi disseminarent. Forsitan erant, qui, quod superiori seculo, cum Sabbatai Sevi Messiam mentiretur, Judæos fecisse, relatum legimus, * gloriantur, *mox scenam mutatum iri, tempus adesse, quo ipsi rerum potiantur, satis diu se servorum loco habitos esse, nunc alia instare tempora, quibus fortuna subito sit convertenda; satis longa gentibus contigisse imperia, nunc tempus, esse, se vices excipere, melius acturos.* Talia dicta Judæos insolentius jactasse, negaturum confido neminem, qui ingenia hominum & nationem Judaicam non ignorat. Quin aucta illis, ex inanissima de regno Messiae mundano persuasionem, arrogantia, ubi mirus

* conf. b. I. I. SCHUDTII nostratis, Jüdische Merkwürdigkeiten. P. II. Lib. VI. C. XXVII. pag. 41. sqq.

mirus animis increvit tumor, eos quoque gentibus insultasse, a vero non abhorret. Quis igitur in tanta Judæorum vel expectatione, vel jactantia & insultatione *famam Regis ex oriente venturi* toto orbe percrebuisse miretur? Quam vero Magorum, ex Judæa redeuntium, confessione & concelebratione accedente, magis magisque auctam & latissime dispersam fuisse, ut omnium hominum & ætatum sermone celebraretur, non sine ratione opinamur. Equidem rerum, quæ in Civitate Dei geruntur, adeo non sumus ignari, ut nesciamus, plurimos Eruditorum discernere, illos orientis Sapientes, hac ipsa fama excitatos, in Palæstinam iter instituisse. Quod licet præfracte negare nolimus; nihil tamen impedit, quo minus eadem ipsorum prædicatione latius disseminata dicatur. Mihi tamen Magi, quos Deus per quietem de reditu certiores fecit, eodem monitore impulsos, iter suum suscepisse videntur. Ecquis vero non credat, eos non divinam solum prædicasse clementiam, sed & JESUM recens natum Judæorum Regem in omnibus gentibus, per quas reditum pararunt, plenis buccis concelebrasse? Sic *fama Regis ex oriente venturi* orta, sic aucta incrementum cepit, sic latissime dispersa, toto tandem orbe percrebuit.

Reliquum est, ut paucis ostendamus, quantum hæc fama ad veritatem Religionis Christianæ corroborandam conferat. Non solum mirificam Dei Sapientiam egregie illustrat, qui eandem Apostolorum prædicationem quasi præcurrere jussit, ut animi gentium ad Regem, fama
jam

jam cognitum, eo promptius suscipiendum præpararentur; Sed etiam fidei nostræ veritatem testimonio, quod omni exceptione majus est, confirmat. Ostendit enim characterem temporis, qui inter notas Messiæ vel præcipue est attendendus, JESU Nazareno, quem nos colimus & adoramus, ita convenire, ut in nullum alium accommodari possit. Ea ætate, qua omnes Judæos firmissima persuasio, ex oraculis divinis hausta, tenuit, tempus adventui Messiæ destinatum magis magisque appropinquare, ante quam nemo, qui Messiam mentiri auderet, inventus fuit, ea ipsa, inquam, ætate JESUS noster doctrina & miraculis se Messiam probavit. JESUM itaque verum Messiam, & Religionem nostram robusto fundamento superstructam esse, fama Regis ex oriente venturi demonstrat. Limites, quos ipsi nobis præscripsimus, prohibent, quo minus argumentationem uberius prosequamur. Id tamen adhuc observamus, pertinere hanc famam inter ea, quibus Deus, *cælum, & terram & maria & omnes gentes*, cum venerit *כל הגוים* desiderium omnium gentium, sese commoturum, per *Haggæum* prædixit.* Quis enim non intelligit, quantos motus, quantam expectationem hæc fama inter omnes gentes excitaverit? Quodsi cogitamus, quæ in diebus nostris evenerunt, facile istius temporis faciem nobis præsentare possumus. Cum fama de novo Imperatore eligendo ubivis spargeretur, quanti motus animorum! quanta spes! quanta expectatio fuit excitata! Cum rursus fama tota urbe percrebesceret,

ret, Regem ex oriente esse electum, Imperatorem ex Austria orbi datum, qui plausus! quæ acclamations! quæ gratulationes! quæ vota per omnem civitatem audiebantur! Alii gestu & oculis lætitiâ prodebant; Alii inundatis gaudii vilarcrymas fundebant; Alii externari pæne incredibile voluptatis genere, atque extra se poni videbantur; Alii quasi in se abducti mirabantur hujus diei felicitatem, & tacita mentis voce Deo gratulabantur.



ORA-